

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glauchensi

D. O. M. SACR.

157

ARA MEMORIAE

Quam

SIBI SUISQUE
HONORI ET SOLATIO

SINE SUMPTU
SINE FASTU

EXSTRUXIT

SAMUEL SCARLACH
GARDELEGIENSIS, MED. D.

ANNO.

cl. Io. CXXVI.

M. TULL.

NASCIMUR MISERI,
MORIMUR BEATI.

FRANCOFURTI

Typis Iohannis Eichorns.



AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
DOCTISSIMISQVE VIRIS

DN. CONSULIBUS ET SE-
NATORIBUS

INCLYTÆ ET LITERATIS-
SIMÆ REIPUBLICÆ GARDE-
LEGIENSIS IN VETERI MARCHIA

MEMORIÆ ET GRATITUDI-
NIS ERGO

DEDICAT

SAMUEL SCARLACH. D.
ET PROFESSOR P. IN ACA-
DEMIA FRANCOFURTA-
NA.

AD PATRIAM.



NATALE dulce solum, solum, quod vagiens
Primum salutavi puer, quod deniq;
Spatium meo optavi sepulcro, aut angu-
lum

(Si Di volunt) brevi relictum Epitaphio,
Cum inscriptione (HIC TERRAM
POSUIT CASAM,

E putridi hospitij ruinis integer

SCARLACHII, cœlo receptus, Spiritus.)

Salve solum patrium, vetus SENONUM domus!

Meiq; amoris symbolum hoc lubens cape,

Quodq; ultimum paro, mihi & meis sacrum.

Vivus tibi dedecori (uti spero) haut fui,

Fac mortuus sine dedecore placidè cubem;

Neve improba adficiat probro cineres manus:

Dùm cœlitum adscriptus gregi civis novus

Perpetuam ego Germaniæq; Marchiæq;

Exoro pacem, atq; incolis mentem bonam.

Hoc nunc supremum te alloquor: tu ut gaudeam

Aeternum ibi apprecare Patria, ita vale:

Valeto; ocelle Civitatum Marchiæ,

Valete, literis amica Numina,

Patriæ patres cum subditis, aris, focis:

Di, Di supremum hoc audiant votum meum!

os(o)so



A 2

Pro-

PROGRAMMA
AD CIVES ACADEMICOS
ANNO

CIS. 13. CXXI.



SEQUIAS Natæ Medicus pater appa-
rat, ite,

Ite boni, quotcumq; arti, artificiq; favetis:
Et toties iterata hac pompa, discite tādē,
Quantula sint hominum corpuscula, quā-
tula vita,

Quam tanto cum errore brevem, tantoq; tumultu
Transigimus, fati ignari, sortisq; futuræ.

Non dū iterum exacto completur circulo anno

Cū Genitor lecto adfixus, lentæq; periculum

Evadens vix tabis atroci morte peremptam

Flevit *MARGARIDEN*, bellam, totamq; merum mel,

MARGARIDEN: nono ætatis quam grandior anno

URSULA cara sequens, non uno vulnere pectus

Sauciat, et cunctam luctu fugiente medelam.

Ut taceam interea, quæ plura incommoda vidit,

Magna domi, majora foris, extraq; se, et intra:

Sive hostis vexet, seu non sincerus amicus,

Sive aliud quodcunq; malum, fatiq; catena.

Usq; adeo nulli est homini perfecta voluptas!

Quando etiam medio interdum de fonte leporum

Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angit,

Et rebus lætis par est mensura malorum.

Quis verò esse neget divini signa favoris

Hæc quoq;, quæ luctus refricant, cumulantq; labores,

Et vitam hanc nobis invisam & tempora reddunt,

Accenduntq; animi patriæ cœlestis amore?

Namq; ut res cuiusq; ferunt, ut facta merentur,

Arri-

Arridet quandoq; suis, quandoq; minatur,
Idem utrobq; Deus: sed & hoc (si creditis) inquam:
Quantò quisq; ferè nostrum ævo adflictior isto est,
Tantò natus eidem est patri carior idem,
Tantò æterno ævo potiorq; priorq; futurus.

Id volvens animo genitor, parcensq; dolori,
Agnoscat patrisq; manum, gratamq; Deo vim,
Qui semper sua tantùm, numquam aliena reposcit.
Quare etiam ereptam haut natam, sed redditam, eoq;
Ante diem statuat præmissam, ubi nulla molesta
Tabida erit macies iterum, vel pallida febris.
Neve etiam quam par fuerat sequi, eam ordine verso
Præcessisse ferat gravius, natæve quietem
Invideat, sibi quam numquam non anxius optat,
Nec vero æternum, quam amisit, prole carebit:
Sed salvam accipiet rursus, coramq; videbit.
Ergò moram exiguam, atq; hunc parvi temporis usum
Filiolæ ereptum æquo animo ferat interea, ac spe
Læti iterum sese congressus erigat ipse.
Scilicet & tempus veniet, cum pignora nostra,
Quotquot quisq; prius matris carissima terræ
Commisit gremio, terra mox reddita eadem
Viva recepturi læti, amplexuq; fruentes
Longùm intermisso, ac nulla umquam morte secunda
Interrumpendo. Sic quos marcescere serò
Adspicis autumno flores, totoq; Decembri
Exanimes veluti gelida tellure latere:
Vere iterum prodire novos, omnemq; gerentes
Ornatum fastumq; suum, mirabere demùm:
Et dubitamus adhuc victura cadavera nostra?
Stipitis è cinere exsucco, steriliq; saburra,
Humana arte vides effingi lucida vitra:

Divina arte neges & corpora nostra Supremo
Splendidiora die cinefacta resurgere posse?
O tantum ille dies, ver illud perpetuum adsit!
Ille dies, totum qui flammis ultimus Orbem
Involvit, verbisq; fidem dabit exitus ingens.
Quem sibi quisq; diem adsidue illuxisse putantes,
Cautè agite, atq; orate Deos, pransiq; paratiq;
Expectate viri: nam dum nos vertimus, ecce,
Præstò aderit iudex fandi memor atq; nefandi:
FELIX, iudice eo quicumq; utetur amico!

D. O. M. SACR.
URSULÆ ET MARGARITULÆ:
DUABUS ANIMULIS SUI S.
M. P.



Octumulo composita jacent duo Corcu-
la parva,
URSULA MARGARIDI
reddita morte suæ:
Quas deiecto animo Genitor, lacrumisq;
profusis
Mœstus humi condo, primitias Generis.
Da lætus repetam fructus, plenosq; maniplos,
Supremo mensis tempore, CHRISTE, tuæ.

URSULA SAMUELIS SCARLACHI. ET ANNAE
KEMNITIAE F. ANNO CLO. IO. CXII. III.
IDUS IULI. NATA. AB INEVNTE ÆTATE PER-
PETUIS FERE MORBIS OBNOXIA. TANDEM E-
TIAM SUPERATO DIFFICILLIMO AGONE ANI-
MAM REDEMPTORI SVO REDDIDIT XV. KAL.
FEBR. ANNO CLO. IO. XXI.

Mar.

MARGARITULÆ TUMULUS.

SANGVINE CHRISTE TUO tibi MARGARIS empta, fruatur
Muneribus partis SANGVINE CHRISTE TUO.

NATA ANNO CIO. 13. CXX. XVI. KAL. IUNI.
DENATA NONIS SEPTEMB. EODEM. ANNO.

VOTUM AD DEUM.

**PRO FILIOLO ÆGROTANTE, IOANSA-
MUELE SCARLACHIO.**



Æc tibi reddo pater patri, duo pignora lecti,
Primitias has reddo lubens: tua gaudia sũto,
Mœrores, luctusq; mei, lacrumæq; perennes:
Ah saltem, solus superest qui masculus hæres,
IOANNES SAMUEL, meæ opes, mea
vita, meum cor,

Ne simili intereat fato, & tortore catarrho;
Spemq; adimat generis genitori ipse unicus omnem,
Omnes delicias, quas fingere voce manuq;
Jam mimus jam discit iners, et Simius alter
Sit super unum, oro, solamen dulce laborum,
Serviat, oro, tuæ laudi, patriæq; salutem.

MEMORIÆ

Reverendi & clarissimi Viri

**DN. M. JOANNIS SCARLACHII SE-
NIORIS. ECCLESIAE GARDELEGIENSIS
PASTORI ET SUPERINTENDENTI.**



HRGO infanda dies, nigro signanda lapillo,
Advenit rursus, magni lux conscia luctus,
Conscia perpetui [si lux fuit illa] doloris!
Quo te, care pater, Pastorem Ecclesia mœsta
Amisum luxit, crudeli peste peremptum.

Nec

Nec Præceptores habuisse *MELANTHONA* quondam,
*EBERH*q; iuuat, nulli pietate secundum,
*WINSEMIVM*q; gravem, magni generumq; Philippi
PEUCERUM, heroasq; alios, quos incluta fama
Doctrinæ, atq; ardens exexit ad æthera virtus.

*JAM*q; iace his ducibus potius, sanctisq; Magistris
Additus ante diem, ne maxima damna videres,
Quæ nostra impietas, et mens ingrata merentur.
Nam quid jam superest, quod non toleremus inulti?
Tollimur hæretici dicti malè, pellimur orbe,
Urbe, domo; prohibemur agris arisq; focisq;
Usura indigni communis lucis & auræ.
Hæc patimur, nec jam finem, auxiliumve videmus.
At tibi parta quies, neque ego invideo, aut tua luctu
Gaudia perturbabo novo, seraque querela:
Nec nato præcone tua indiget incluta fama.
Id tantùm, oro, mei monumentum & pignus amoris
Supremum accipias, quæque annua munera solvo,
Quæque tuis semper persolvam iusta sepulcris,
Ut saltem his studiis tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis est nostræ, *GENITORIS* nomina demam:
Donec summa dies tenuem tibi junxerit umbram
Me quoque, complexuq; tuo & sermone fruentem,
Interea soboles, cari pia cura parentis,
Tempus fallat iners, et avum virtute referre
Discat, et ingenio, generis damnumq; rependat.
Scilicet id (si sensus adest, si cura sepultis
Ulla horum) læti spectabitis æthere manes:
Et salvi, noster dicetis, crescite, sanguis,
Et Christi et patriæ à teneris addiscite amorem.

M. Ioan-



JOANNES SCARLACHIUS SENIOR,
Magdeburgi in Saxonia, ad Albim ex honestis parentibus natus, Literarum & pietatis fundamenta jecit in scola patria, sub ABDIA PRÆTORIO. Cumq; esset ingenio felicior, Philo-
sophicis præ cæteris, ætatis anno XVIII acceptis ab Abdia literis cõmendatitijis ad Dn. PHILIPPUM MELANTHONEM, in Academiam Wittembergicam missus, quinquennium ibi integrum in studijs Philosophicis & Theologicis exegit, assiduus Melanthonis auditor. Ex Academia GARDELEGIAM vocatus (quod unum est ex septem præcipuis veteris Marchia opidis, itinere unius diei Magdeburgo distans) officio CONRECTORIS in scola ibidem celebri, trium annorum spatio perfunctus, paratq; sibi quasi peculio, secundo Wittembergã profectus studio potissimum Theologico reliquum tempus impendit. Sed opinione sua citius Gardelegiam ad docendum Verbũ Dei revocatus, adsumpto summo in Philosophia gradu, sub M. IOANNE BUGENHAGIO (cõmendante ipsum pro more Academia cõsuetudo D. CASPARO PEUCERO Dn. PHILIPPI GENERO,) Gardelegiam venit grassante peste, & divinitus oblatam functionem accepit, ANNO Cl. Io. LXVII: paulloq; post matrimonio sibi junxit honestissimam feminam ANNAM REINECCIAM, civis honesti & fortunati F. M. Bartholomai Rifebergij Iunioris viduam, cum eaq; ex voto vitam transegit, dignitate Pastoris & Superintendentis totos XL annos functus. Anno demum Cl. Io. CVI. præter spem amissa coniuge, filiorũ quoq; altero, SAMUELE PHILOSOPH. ET MED. D. Francofurtum ad Professionem P. altero, M. IOANNE, Solisquellam ad munus Ecclesiastice evectis, annorum satur, paulatim bujus vitæ tadio, beatq; alterius desiderio cepit cõt abescere. Vixit tamen viduus integrum ferè annum, cum voti compos ætatis Anno LXX placidè expiravit Anno Cl. Io. CVII. Exuvie in æde D. Virginis condite.

B

Tumuli

TUMULI INSCRIPTIO.



ANUS SCARLACHIUS Naturæ heic debita,
more

Majorum, exsolvi. natum Mavortia pri-
mum

Parthenope excepit: docuit Witeberga
PHILIPPI

Discipulum: CHRISTI audivit, coluitq; ministrum

GARLEZIA: emeritum pestis rapit atra, deinceps

Parta quies, ævumq; mihi immortale Deorum:

Quodq; meum claudi potuit, hac conditur urha.

ANNÆ REINECCIÆ

Matri carissima.



OCTIS viris nupsisse si felicitas,

Et eruditos educasse liberos:

Matroname felicior nulla altera

Vixit, obiitq;: obiisse si putanda ea est,

Cui pro brevi vita perennis nominis

Fama obtigit: lucem mihi reddentibus,

Lucem quibus dederam prius, natis tribus,

O digna conjunx his maritis! his parens

Natis! & his reddenda & illis reddita!

Abi Viator, posterisq; prædica

Felicitatem feminae raram bonæ.

EPIGRAPHÆ.

ANNA LAURENTI REINECCI F. M. BARTHOLO-
MÆO RISEBERGIO VIRGO; M. JOANNI SCARLA-
CHIO VIDUA: MATRIMONIO JUNCTA: EX ILLO,
M. LAURENTIO RISEBERGIO: EX HOC, SAMUELE
SCARLACHIO, D. & PROFESS. P. IN ACADEMIA
MAR.

MARCHICA: & M. JOANNE, ECCLESIASTE SOLISQUE
VELL. POST SE RELICTIS: RADIIS UTRIUSQUE
MARITI, LIBERORUMQUE IN TERRIS: VERA IN
CHRISTUM FIDE IN COELIS FULGENS PERPETUO:
CORPORIS EXUVIAS HEIC DEPOSIT. ANNO CIO
CVII INEUNTE ÆTAT. LXXI. MATRI CARISS.
SAMUEL & JOANNES SCARLACHI F. M. P.

D. O. M. SACR.
ANNÆ GOLTBECCIÆ
MATRONÆ GENERE ET VIRTUTE
NOBILISSIMÆ.

DN. MATTHAEI CUNONIS JURISCONSULTI
CELEBERRIMI, ORDINARI ET PROFESSORIS
IN ACADEMIA FRANCOFURTANA CLARISSIMI
& C. UXORI CARISSIMÆ.

ADFINI MATRIS LOCO COLENDÆ.
L. M. QVE M. P.

GOLTBECCIÆ stirpis vetustæ ac nobilis,
Germen caducum, feminae exemplar bonæ,
Virtutum acervum maximarum, hospes vide,
Dole. quid illi enim sterilitas obfuit?
Quam mens bona, atque animus virilis, & sacri
Servans pudoris, reddidere ANNAM suo
Caram CUNONI? in quo omnis illi cura erat
Posita, neque hunc curasse credebat satis
Unquam. ò tuum hæredes polito marmore
Ornent sepulchrum, & floribus semper novis!
Ego hoc amoris symbolum adpono lubens
Dignissimis majori honore manibus.

B 2

D. O.

HOLD
ARLA
ILLO
WELE
EMIA
MAR

D. O. M. SACR.

M. LAURENTIO RISEBERGIO M. BARTHOLOMAEI II. F. BARTHOLOMAEI I. N. THEOLOGO, HISTORICO ET MATHEMATICO INSIGNI, VIRO SI JUSTAM AETATEM VIXISSET INCOMPARABILI.

Hospes, tibi Pietatis usquam si fuit
Visum sepulchrum, hoc visitur: sacer locus.
E stirpe prisca haut degener LAURENTIUS
RISEBERGIUS, pernecis alite Ingeni
Evectus humana altius sorte, ubi parem:
Doctrinae adeptus laudem, & Innocentiae:
Avo & parenti redditus Divis fuit,
Tellure ibi recondito corpusculo,
Unde illud acceptum antea, hospitium breve,
Mentisque divinae haut satis capax, fuit.
Incomparabilis sacro cineri viri,
Hospes, fave, facilique praeteriens pede,
Quae brevia, linque, anhela ad Immortalia.

FRATRI UTERINO
benè de se merito
M.P.

CHRISTOPHORO SCARLACHIO
LITERARUM ET MUSICAE IN PRIMIS ORGANICAE
STUDIOSISSIMO. FRATRI GERMANO CARISSIMO
PESTE EXSTINCTO.

HT voce suavi, & suavioribus organis
Solitum Deum laudare me domi & foris,
Pestis rapit, Superùmque reddidit Choro,
Et Musicae Angelicae. Silent Chordæ & fides,
Veteres

Veteresque meditantur modos tacitæ, & sonos,
Tactusque molles, & magistrum flagitant,
Mens muta non est: sed Deum intuens canit:
O grata permutatio vitæ & necis!

REV. ET CLARISS. VIRO
DN. M. JOANNI SCARLACHIO ECCLESI-
ASTÆ SOLISQUELLENSI, FRATRI
GERMANO SUO
Vitam & valetudinem P.

Vestigiis parentis insistens, parem
Labore adeptus gloriam, & Constantiâ,
Ad nominis famam tui si me addere
Quidquam decebit, frater: invidia procul
Dicam, PATRISSAS. Posteris tantum precor:
Nec majus his possum precari, aut sanctius.

UXORI ADFINIS

In partu extinctæ

Una eademque opera absolvit duo fortia facta
URSULA: quæ peperit mater & occubuit.
O nimium felix! CHRISTI quæ castra secuta
Femina, visa sua est in statione mori!
Disce, sub hoc quicumque meres duce tyro, decorum
Quàm sit, ubi turpe est cedere, malle mori.

INFANTI

MOX POST QUAM NATUS ESSET

DENATO.

Momento absolvit Naturæ hinc debita cuncta
JANUS: qui natus vixit, & occubuit.

B 3

Scilicet

ARTHOLQ
HEOLOGO,
NI. VIRO
COMPARA

er locus.
ENTIUS

HIO
ORGANI
O CARIS

S
foris,
Choro,
& fides,
Veteres-

Scilicet hæc nostræ historia est & fabula vitæ,
Sive ea longa fuit fabula, sive brevis.
Ille tamen tantum felix, tantumque beatus,
In CHRISTO benè qui vixit & occubuit.

INFANS AMICI

Nono à nativitate die morbillis exstinctus & patris pictoris manu depictus.

Hærentis est, & quod vides, & non vides,
Terra reconditum, opus: manu id pinxit sua,
Imaginem nati unici, quem amiserat
Novem dies natum. *BREVE ÆVUM*, & inquires
Morbis ab ortu ad ultimum usque spiritum.

Misereberis, Viator, hæc legens, quem idem,
Quod ego brevi confeci iter, longum manet.
Tu præcuntum cautus exemplo tamen
Perge expeditus; propera ad immortalia.
In rebus humanis amicum homini nihil:
Quantusque homo est, est pulvis, umbra, vanitas.

Pfalm. CXLIV.

אדם להבל דמה : ימיו כצל עובר :

Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt.

SA

SAMUELIS SCARLACHI
EPISTOLA
AD NEPOTEM EX FRATRE
Curriculum vitæ conti-
nens.



U D I, parve puer, generis spes altera
nostri,

Audi fata tui patrui, quæ præcipua eg
dam

Ac, si vota valent, melioribus utere.

PRISCA

MARCHIA me genuit, quæ *GARDELEGIA* sola
Septem alias inter celebres caput extulit urbes.

PASTORUM Inspector genitor mihi, Christicolarum
Princeps Præco gregis, *JANUS*, veteri exoriundus
Profapia, ac clara quondam belloque togaque.

At *JANUS* genitor Musarum castra secutus,
Consilio inprimis sancto, hortatuque *PHILIPPI*,
GARLEGIAM venit: junctaque ibi connubio

ANNA

REINECCI civis nata sibi, *RISÆBERGI*
Tum vidua, exegit longum feliciter ævum.

Ipsè igitur cari sectans vestigia patris,
Ad Musas adjecit animum, Phœboque secundo
Non mortale mihi nomen, laudemque paravi.
Jamque ubi desertis studijs puerilibus, annus
Septimus à decimo exactus, me Academia alumnus

Prima

Prima novum excepit *WITTEBERGA*: ubi fixerat
exsul

FRISCHLINUS sedem, meque in sua castra trahebat,
Jam soli addictum Sophiæ, priscaeque Poesi.
Sed me, nescio quæ, ratio victusve, locive
Adversa offendit, febrili horrore subinde
Correptum, & lentæ metuentem semina tabis.
Ergo *SAXONIAM* repeto, & nova tecta reviso
JULIÆ; ab autore augusto sic nomine dictæ:
Maxima ubi exacta est mihi pars, meliorque juventæ.
Namque hîc vidi illum Grajæ, Latiaeque magistrum
SVADÆ, CASELIUM, fama super æthera notum,
Sectatusque fui, veræ virtutis amore.
Et quamquam ad Medicam jam tum mētem adjicerem
artem:

Non me poenituit, conjungere sacra profanis,
Non, etiam Ebræos Scripturæ evolvere fontes,
SCHINDLERO præeunte duce, adsiduoq; magistro.
Jamque ferè Sophiæ cursum absolvisse videbar
Plerisque, & Laurus semper florentis honorem
Emeritus, quam mi Meibomius inclytus arte
Imposuit, primusque *SOPHUM*, dixitque *MAGI-*
STRUM.

Dehinc igitur plures postquam haut inglorius annos
HELMO impēdissem viridi: me *ARNIMIUS* heros,
Brandenburgiacæ præfectus maximus aulae,
Excipit hospitio primus, natoque magistrum
Præfectum totum Berolini detinet annum,
DISTELMEIERI, & Medici alloquio *HILDESHÆMI*
Gaudentem, patriæque aliorum luminum amore:
Donec, peste loco infecto, hinc in prædia avita,

Et



Et **BOITZENBURGI** veterem secessimus arcem,
Marchica ubi **UKERUS** lacus irrigat ultimus arva.
Nec fuit hæc ingrata loci mutatio Musis,
Aulai à strepitu ad tranquilla silentia ruris,
Agrestesque Deas, pastorumque otia dia:
Solut ubi in silvis, sub ramis arboris altæ
Prostratus, Faunos docui, his didicique magistris
Herbarum vires, & nomina, progeniemque.
His etiam carmen sæpè auditoribus, & **DI**
Exorsus, doctis certantibus unà & aviclis,
Et raris, palmam retuli laudemque, tacente
Invidia, has rarò quæ migrat pestis in oras,
Dirum Academiis omen, magnisque Lycæis.
Sæpè etiam cultis olitor conspectus in hortis
Ætates florum varias, variasque figuras,
Attento observare animo, gratoque labore.
Sæpè inter densas segetes deprensus amator
Cum Musis garrere meis, & pascere ocellos:
Aut viridi toto prostratus corpore in herba,
Propter aquæ rivuum, placidam captare quietem:
Aurai interea leni adspirante susurro,
Et summas stringente comas, oculosque premente:
Donec plena domum referentes ubera vacca
Jejunas iterum invitant spaciariæ horas.
Jamque ubi nocturnas accenderet Hesperus ignes,
Altaque ubique quies: operas solata diurnas
URANIE in campum me non invita vocare:
Cæpheaque, Arctonque, & servantem plaustra Bootæ,
Pleiadasque, Hyadasque, Arcturum, & Cassiopæam,
Sideraque attenta monstrare alia omnia dextra,
Et patriæ ætheriæ mentem succendere amore.
Hæc meæ erant tùm delitiæ, mea gaudia ruri,

C

Ruri.



Rui, ubi te nemo stantem, te nemo sedentem
Arguit, hoc illi si fors super incubuit crus,
Sive uno cyathum non evacuaveris haustu,
Non rectè appositas gustu libaveris escas:
Stare, sedere, esse ex libitu, & potare licebit.
Atque ubi sic visum Lachesi, Superisque fuisset,
Non alibi optavi vitam finire locorum:
Verùm Hygieia aurem vellente, alioque vocante,
Celsi, & Rostochio, tractuque Megapolis omni
Lustrato, Viadri tempe sperata petivi,
Unde duùm exacto annorum spatio, incluta demum,
Et numquam laudata satis me *LIPSI A* cepit:
Et gratas nectitque moras, lustrumque trahentem
Jam plenum, & Medicæ summos dudum artis honores,
Et thalamos meditantem, ægrè dimisit alumnum.
Atque utinam tenuisset amans! sed fata negarunt
Fortuna meliore frui: placuitque vagari,
Et regna atque urbes peregrinas antè videre,
Et mores populorum, & totum in rebus inane:
Quorum ubi pertæsum tandem, visumque fuisset
Desipuisse satis, pœnasque dedisse laboris,
Quem durum totos bis denos impiger annos
Pertuleram, dulci Musarum & laudis amore:
Fato (credo) meo *VIADRI* ad vada nota reversus
Hospes, resipui serò, optavi que quietem.

ERGO *Asclepiadum* divino gentis honore
Cunctorum applausu ornatus, navare operam agris
Curandis cæpi, facili comitante laborem
Fortuna. & jam etiam Superi majora parabant,
Atque Professoris munus prænobile, nullis
Emendicatum precibus, pretiové redemptum,

Adde.



Addebant, nostris gratissimaque otia Musis,
Nî comitata gravi invidiaque, odiisque fuissent,
Quæ pariter famamque meam, jugulumque petebant.
Sed vetuere Dij memores fandi atque nefandi,
Meque haut ingrata pœna affecere volentem:
Quando reluctantem me, & lecto suavè cubantem
Libero, amatorem subito & risere maritum

ANNÆ CHEMNITIÆ, castæ, eximiæque puellæ.

Nec tamen hîc etiam exlex planè, experisq; laborum
Usque fui: ut me hominem nossem, immunemque ma-
lorum

Nulla horum, vitæ nobis quæ tempora reddunt
Invisa, atque animum patriæ cœlestis amore
Acendunt. Sed me, qui solus tristitia lætis
Temperat alternis vicibus, Deus omnibus æquus
Ereptum adversis, tuta in statione locavit,
Perque gradus omnes summum ad fastigium honoris
duxit: nec jam etiam invalidumq; senemq; relinquit,
Gaudentem facili victu, grataque quiete,
Bisque magistratum, & fasces cum laude gerentem,
Et nomen peramabile avi, patrisque merentem.

QVARE etiam, ò summe Deus! tibi pectore toto
Grates semper agam, benefactaque nulla tacebo
Tanta tua, & quæcunq; mihi mediocria vitæ
Commoda contuleris. neque enim majora cupivi,
Nec domus his eguit, parvoque adsueta Juventus.
De me quid porro statuatur tua recta voluntas,
Seu lætum, seu triste paras, nihil ipse recuso.
Tantum oro (& votorum hæc summa caputque meorū
Sit precor) extrema cum advenerit hora diei,
Hora piis numquam procul expectanda, semelque

Debita naturæ exsolvenda, ad gaudia cœli
Tranquilla & placida sopitum morte reducas:
Hæc, ubi me rerum humanarum obliviam grata
Accipient, vanosque dabunt contemnere honores,
Spesque metusque omnes, unumque incumbere Olympo,
Et sola ambrosia Divorum, & nectare pasci,
Tum demum semper verè, atque ex assè beatum.
HÆC, puer, historia est, & vitæ fabula nostræ:
Tu sequere, & virtutem imitare, errata tegendo.

Θεῶν μόνων δόξα.

KENOTAPHIUM
IN PATRIA ERIGENDUM
D. O. M. SACR.

SAMUEL SCARLACH GAR-
DELEGIENSIS PHILOSO-
PHIÆ ET MED. D.

ANNO

cl. Id. LXIX:

V. KAL. OCTOBR.

GARDELEGIAE IN VETERI MAR-
CHIA NATUS, PATRE

M. IOANNE SCARLACHIO PA-
STORE ET SUPERINTENDENTE.

A PUERO

IN VERA RELIGIONE ET BONIS LI-
TERIS RECTE INFORMATUS.

Reh.

RELIQUAM ÆTATEM
IN ACADEMIIS TRANSEGI
LATINÆ GRÆCÆ ET EBRAICÆ ANTI-
QUITATIS PERPETUO STUDIO-
SISSIMUS.

ANNO MD. CVII.
IN NUMERUM PROFESSORUM ACA-
DEMIE FRANCOFURTANÆ ADSCITUS.
PUBLICÈ DOCENS,
PRIVATIM ADSIDUÈ ADDISCENS
CONSENSU.
CUM FASCES ACADEMIÆ BIS GESSISSEM.

ANNO
ACTA FABULA
DE SCENA NON INVITUS DECESSI.
ANNO. MENSE. DIE. POST QUAM ME IN-
HOMINEM PRIMUM INDUXI.

SI QUID PRÆTEREA
RECTE FACTUM
BENÈ PARTUM
LIBITINAM EVASERIT.
FRUANTUR POSTERI.
BENÈ CONSULANT
ERRATA ET COETERA
TEGAT URNA.

TANTUM EST VIATOR
VADE. SEQUERE.

C 3

Quo

cas:
grata
honores,
re Olympo,
i,
eatum.
a nostrz:
egenda.

DUM

GAR
OSO.

MAR.

IO PA
ENTE.

NIS LI.
AS.
Reli



QUA HAUT INDECORE PRÆCESSI.

DOMINE JESU
SUSCIPE SPIRITUM MEUM,
AMEN.

AD SUOS SUPERSTITES.

N E me tranquilla confectum flete senecta:
Nunc quoq; sum, quod eram, pulvis, & um-
bra levis.
Cuncta suos repetunt ortus; perit orbis & æther:
Sola manet Christi reddita morte salus.

PSAL. 39.

: אֵךְ כָּל - הַבַּל כָּל - אַרְוּ :

*Hominem si dixeris, universam vani-
tatem dixeris.*

ODE.
DIE NATALI
POST DIVTVERNVM MOR-
bum ante aliquot annos
scripta.

Autor



UTOR *humani generis supreme,
Cujus immensa est bonitas, favorq;
Nesciens finem adsidue novus cum
Sole recurrit:*

*Quas tibi grates meritas rependam
Pro tuis donis: meritisq; magnis?*

*Nulla queis expers abit hora, nulla
Labitur etas?*

*Fam quater denos peregrinor annos
In vago mundi pelago hoc: ubi hostes*

*Atq; pirata adsidui minantur
Ante retroq;*

*Sepius vite subij periculum,
Nave quassata, tabulisq; fractis:*

*Naufragus semper tamen enata vi
Numine dextro.*

Tu mihi cursum Cynosura monstrans,

Tu mihi in magnis socius periclis,

Tu mihi in morbis Medicus, medelaq;

Et meum asylum;

Victum, amictumq; Et thalamum quietum,

Et facultates modicas dedisti,

Et bonam famam, bene consciamq; in

Pectore mentem,

Ille ego limus fragilis, lutumq;

Sum:

ESSI.

EUM,

ES.

eta:

lvis, & um

her:

salus.

UANI-

GOR.

Autor

*Sum tuo indignus, fateor favore,
Et bonis cunctis, quibus immerentem
Me cumulaſti.*

*Quàm bonus, quàm tu dare dona largus,
Tàm sum ego ingratus, subito bonorumq;
Immemor: in me moveant paterna
Nuncia virga.*

*Hinc mala, hinc morbi adſidui, necisq;
Prodromi, ſed tu placidus, favensq;
Deſine irarum, & facilem miſertus
Porrige dextram.*

*Fac, tui vultus radij ſereni
Deleant largas lacrumas: ut agris
Liberum curis vitiisq; agam omne
Sobrius ævum.*

*Sic tua æterna benefacta laude
Letus extollam, referamq; grates,
Dùm mihi lingua ſuperabit ullus
Uſus & aura.*

PSAL. CXL. V. VI.

כל הנשמה תהלל
יְהוָה: הַלְלוּ - יְהוָה:

F I N I S.

Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,
Quos te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatisq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati pramia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674





M. SACR.

157

MEMORIAE

Quam

SUISQUE

ET SOLATIO

SUMPTU

FASTU

FRUXIT

SCARLACH

ENSIS, MED. D.

N. N. O.
CXXVI.

TULL.

UR MISERI.

UR BEATI.

COFURTI

annis Eichorns.

128

